



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

26. Quæ peccata sunt, quæ remittuntur per Baptismum, recedente
fictione? Et quæ peccata sunt recedente fictione, explicanda, vel non
explicanda in confessione? Et an sola attritio sine Sacramento ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Sacram. Baptismi. Ref. XXIV. &c. 19

Sacram. in genere diff. 4. negativè respondent, seclusa Extrema-Uncione; quia existimat Hurtadus per hanc etiam conferri primam gratiam attritis, & absque mala fide suscipientibus illam.

2. Verùm ego libenter affirmativa sententia adhaereo. Dico igitur quinque sacramenta vivorum conferre primam gratiam aliquando, videlicet quando peccator accedit attritus, existimans bona fide se esse in statu gratia absque peccato mortali, quia de divina clementia credi potest, quod voluerit sic accedenti conferri primam gratiam. Id tamen non eodem modo defenditur ab auctoribus huius sententia, quia alij existimant id habere dicta sacramenta per se, & ex primaria institutione eorum secundum rationem genericam sacramenti, quamvis secundum specificam fuerint instituta ad conferendum augmentum gratiae; alij verò existimant id habere dicta sacramenta ex institutione ipsorum secundum rationem specificam, secundario tamen, & per accidens. Et hanc sententiam probabilè esse docent ipsimet adversarij, & idè Villalobos in *summ. tom. 1. tr. 4. difficult. 7. num. 2.* sic ait: [Es probable que los Sacramentos de los vivos dan primera gracia; porque los sacramentos de los muertos dan aumento de gracia, quando los recibe un nombre que esta en gracia, lo qual parece de per accidens, pues no fueron instituydos para esso principalmente; luego tambien los sacramentos de los vivos daran la primera gracia de per accidens al que llegare con suficiente disposicion, la qual parece que tiene el que llega cum bona fe, y no pone esorvo al efeto de los sacramentos.] Ita ille, & absolute nostram sententiam docent Coninch. de *Sacram. quest. 62. art. 1. dub. 2.* Reginaldus *tom. 2. lib. 26. num. 45.* & alij. Hac opinio satis animarum consolatoria est. Ex illa sequitur quòd si aliquis, v.g. quia non potuit confiteri, sumeret Eucharistiam, putando se habere contritionem, si habeat tantum attritionem; adhuc ex sumptione sacramenti obtineret primam gratiam.

RESOL. XXIV.

Qua Sacramenta sicut suscepta, recedente fictione, conferant gratiam; an solus Baptismus, & Pœnitentia, vel etiam cetera Sacramenta? Ex part. 3. tract. 13. & Misc. 1. Resol. 30.

§. 1. **D**icam breviter quæ DD. dicunt. Durand. in 4. dist. 4. q. 4. & Canus de pœnit. p. 5. docent Baptismum, & Pœnitentiam conferre gratiam recedente fictione. Major. in 4. dist. 4. q. 2. & Covarruv. in cap. Alma mater p. 1. §. 4. n. 23. Baptismum, Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium pro tempore; quòd durat vinculum ipsius, & Extremam-unctionem pro tempore; quòd in infirmitate; in qua datur, durat periculum mortis. Suar. in 3. part. tom. 3. disp. 28. sect. 6. Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, Extremam-unctionem, & Pœnitentiam. Valq. in 3. part. tom. 2. disp. 161. Sotus in 4. dist. 6. q. 1. artic. 8. & alij, conferre gratiam recedente fictione, putant soli Baptismo convenire. Sed alter Sotus, Petrus scilicet in *instit. Sacerd. lect. 5. de Baptismo*, & Cajet. *tom. 1. opusc. tract. 5.* docent omnia septem sacramenta sicut recepta conferre gratiam; dicta fictione postea recedente.

2. Unde merito dixit Villalob. in *summa tom. 1.*

tr. 5. difficult. 21. num. 2. [Que en esta question no ay cosa cierta.] Ipse tamen magis probabiliter tenet, [que todos los sacramentos quitada la fiction, tienen su efeto:] & ratio esse potest, quia Baptismus idè confert gratiam recedente fictione, quia quamvis gratia Baptismi suppleri possit per contritionem, id tamen est melius, & utilius hominibus, sed etiam est illis melius & utilius, quòd reliqua sacramenta sicut suscepta; postea recedente fictione conferant gratiam: ergo id etiam est illis tribuendum, sicut & Baptismo.

RESOL. XXV.

An omnia Sacramenta, vel solus Baptismus habeat effectum, recedente fictione? Ex part. 3. tract. 4. Resolut. 15.

§. 1. **M**agister Sotus in 4. dist. 6. quest. 1. art. 8. hoc privilegium ad solum sacramentum Baptismi restringit; alij verò extendunt etiam ad sacramentum Ordinis, & Confirmationis. Ita Sylvius in 3. part. q. 69. art. 10. ubi citat Canum, Sylvestrum Paludanum, Gabrielem, & alios. Sed Cajetanus *tom. 1. opusc. tr. 5. q. 5.* de confessione informi; & alij absolute docent omnia sacramenta, si cum fictione suscipiantur, illa postea recedente conferre suum effectum gratiae sanctificantis; & ego hanc sententiam cum Cabrera ubi *supra de Sac. q. 69. art. 10. disp. 4. n. 9.* libenter amplector, quia multum extollit; & amplificat dignitatem sacramentorum, licet Villalob. in *summa tom. 1. tract. 7. difficult. 23. num. 1.* & Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 63. sect. 8. negativam sententiam doceant quo ad sacramentum Eucharistiae; sed unusquisque (ait Cabrera) eligat quam maluerit.

Sup. hoc in Resol. præterita, & in tom. 2. tr. 7. ex curiosa doctrina Resol. 151. §. sed ego in fine, & seqq.

RESOL. XXVI.

Qua peccata sint, qua remittuntur per Baptismum, recedente fictione? Et qua peccata sint, recedente fictione, explicanda, vel non explicanda in confessione? Et an sola attritio sine Sacramento Pœnitentia sit sufficiens ad removendam fictionem? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 14.

§. 2. **H**æc quaestio ad motes maxime utilis est, ideo declarabo magis titulum; an per Baptismum recedente fictione remittantur omnia peccata; non solum quæ antecedunt Baptismum, sed etiam ipsum peccatum fictionis, & alia quæque peccata, quæ in ipsa reali Baptismi susceptione perpetrantur, & denique ea, quæ Baptismum subsequuntur; an potius omnia ista peccata remittantur per pœnitentiam, per quam tollitur fictio in ordine ad claves Ecclesiae; ita ut sicut, id est, sine attritione baptizatus, postea in confessione sacramentali huiusmodi peccata confiteri teneatur.

2. Prima opinio est Scoti in 4. dist. 4. q. 5. ubi asserit, omnia peccata, quorum homo attritionem non habuit, saltem cum ad Baptismum accessit; postea recedente fictione per pœnitentiam deleri, tenerique ipsum hominem sicut baptizatum de illis peccatis pœnitere, & ratione sui; & quatenus fuerunt fictionis causa in Baptismo, & con-

B 4 sequentur

in r. 50. sic, in 48. sed in m. & c. f. m. hoc tr. 1. m. 2. d. vide ef. fe. au. hic in 1. r. 1. sed ego in 1. r. 1. de hoc def. non videtur per te. hic in 1. r. 1. sed ego in 1. r. 1. de hoc def. non videtur per te.

INTON
Opera
Tom. 1. & II
E III

sequenter in confessione sacramentali erunt explicanda.

3. Secunda sententia est Soti in 4. dist. 6. q. 1. art. ult. afferentis, quod per Baptismum remittuntur recedente fictione, omnia peccata antecedentia ipsum Baptismum, cum tamen illa, quae sunt simul cum ipso Baptismo, vel perpetrata post illum, quae omnia necessarii in confessione sunt aperienda.

4. Sed ego per conclusiones veram sententiam explicabo. Prima conclusio. Fictio non remittitur per Baptismum, sed per poenitentiam in ordine ad claves, atque adeo necessarii est explicanda in confessione sacramentali. Secunda conclusio. Omnia peccata ante Baptismum commissa, & omnia etiam quae in ipsa Baptismi susceptione perpetrantur, siue sint sacrilegia contra Baptismum, siue non, delentur recedente fictione per Baptismum, etiam si ficti baptizatus nullam profus attritionem habuisset in ipso Baptismo, & ideo omnia supradicta peccata, non sunt recedente fictione in confessione explicanda. Tertia conclusio; peccata post susceptionem Baptismi commissa, recedente fictione, remittuntur per poenitentiam in ordine ad claves Ecclesiae, atque adeo quandiu in confessione non aperiuntur, ut per sacramentum Poenitentiae ipsa applicatum deleantur, requiritur contritio ad tollendam fictionem, & consequendum effectum Baptismi. Et haec omnia mutuatus sum à Cabrera de Sacram., q. 99. art. 10. dist. 2. §. 2. 3. 4. & 5. Sylvio in 3. part. quest. 69. art. 10. Joan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de Baptismo, q. 4. dub. 4. conclus. 2. Villalobos in summa, tom. 1. tractat. 5. difficult. 20. per totam, & Nugno etiam in 3. part. tom. 1. quest. 69. art. 10. dub. 2. qui etiam pro praxi quaerunt.

5. An sola attritio sine sacramento Poenitentiae sit sufficiens ad removendam fictionem? Affirmative respondent Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. & Sylvester verb. Baptismus 4. circa finem, quia fictio est obex Baptismi, sed obex Baptismi tollitur per attritionem, ut omnes concedunt; ergo illa sufficit. Si enim attritio est sufficiens dispositio, ut Baptismus in actuali susceptione habeat suum effectum, cur non erit sufficiens ad removendam fictionem, ut postea Baptismus suum effectum consequatur?

6. Respondeo; duobus modis quis cum fictione ad Baptismum potest accedere. Primò, quia videns, & sciens se accedere in peccato mortali, vel cum ignorantia crassa vincibili suscipit Baptismum & iste dicitur fictus proprie loquendo, & novum sacrilegij peccatum committit. Secundò potest accedere cum peccati mortalis complacentia, sed excusatur à novo peccato sacrilegij, ratione ignorantiae invincibilis; vel quia putat non esse necessariam aliam dispositionem praeter fidem, & voluntatem Baptismi; vel quia putat se esse attritum, cum re vera non sit. Hoc supposito, dico quod fictio primi generis tolli non potest per solam attritionem sine Sacramento; secus verò si fictio sit secundi generis, nam ista tollitur per attritionem sine sacramento Poenitentiae, quia in homine sic accedente ad Baptismum non est necessarium sacramentum Poenitentiae, nam suppono omnia illius peccata antecessisse Baptismum. Ergo omnia tollenda sunt virtute solius baptismi, atque adeo tollentur cum dispositione sufficienti per se cum solo Baptismo. Ita Cabrera ubi supra, dist. 3. §. 1. 2. & 3.

RESOL. XXVII.

An habens infantem baptizandum morti vicinum, & Sacerdos recusat eum baptizare, nisi detur quantitas pecuniae, nec alia via possit conferri baptismus, licitum sit ei prebere pecuniam?

Et an hoc non solum pro infante, sed etiam pro adulto licitum sit?

Idem dicendum est, quando agitur de absolutione in extrema necessitate. Ex p. 5. tr. 3. Ref. 29.

§. 1. **N**egativam sententiam docet D. Thom. in 4. dist. 6. q. 2. art. 2. & dist. 25. quest. 3. art. 3. & infirmat in 2. 2. qu. 110. art. 2. ad 1. Idem docet Alexander de Alex. part. 2. q. 187. memb. 3. art. 1. §. 1. Richardus in 4. dist. 25. art. 2. q. 1. Paludanus eadem dist. quest. 8. & alij. Et ratio est, quia emere Sacramentum est intrinsece malum, sicut & vendere. Ergo nullo casu licitum.

2. Verum his non obstantibus affirmativam sententiam tenendam esse puto, quia si in ista pecuniae enumeratione aliqua esset inordinatio, in hoc esset, quod numerando pecuniam videtur quis consentire venditioni rei spiritualis, & pretium temporale exaequare rei spirituali; sed neutrum est in hoc casu, non enim numerans consentit magis venditioni, quam petens mutuum, consentit iniquae voluntati usurarij, & si consentiret, tantum consentiret tanquam in minus malum, minus enim malum est, ut Sacerdos vendat Baptismum, quam ut infantem in aeternum perire sinat. Neque etiam censetur aequare pecuniae summam, quamvis notabilem Baptismo, quia non dat illam ut pretium Sacramenti, sed ut medium necessarium ad alliciendum Sacerdotis illius animum, & Sacramentum obtinendum. Et confirmatur, quia si alius Sacerdotem impediret, ne Baptismum conferret, posset ei dari pecunia, ut cesset impedire, cur non etiam posset dari ipsi Sacerdoti, ut tollat impedimentum, quod ipse sibi per malitiam, & avaritiam suam posuit. Confirmatur secundò, licet Sacerdotem illum secundum Adrianum inducere minis, precibusque, cur non & pecunia? Confirmatur tandem, quia omnia bona temporalia concessa sunt homini ut juvent eum ad salutem consequendam; ergo sit Sacramentum ad salutem mihi necessarium, non possim propter malitiam Ministri aliter obtinere, quam dando mea temporalia, nihil inordinatum committam. Et ita hanc sententiam docet Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 7. num. 13. Igitur in tali casu licitum est offerre pecuniam, non quidem tanquam pretium Sacramenti proprie, sed tanquam medium alliciendi animum alterius ad dandum Sacramentum. Unde ex dictis sequitur non solum pro infante, sed etiam pro adulto posse dari pecuniam ad alliciendum animum Sacerdotis, si alioquin absque Baptismo moriturus esset, quia illa necessitas sufficiens est ad tollendam irrevocantiam, & non minus censetur dari ad redimendam vexationem, quam in casu infantis, quia est justus metus damnationis. * Idem dicere quando agitur de absolutione in extrema necessitate.

Sup. hoc in tom. 7. tr. 5. Ref. 4. & signanter §. Verum.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 7. Ref. 14. §. ult. & in Ref. annot. praeterita §. penult.

* Sup. hoc in Ref. not. prime hujus Ref. signanter in c. 5. Vnde, & seqq.